QVAESTIO MEDICA
CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS
MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM,

DIE MARTIS X. APRILIS.

M. IOANNE DE BOVRGES, Doctore Medico, Moderatore.

735

An ceruisia nutricibus?



LITER in vtero fœtus, aliter infans extrà vterum vitam (quam ab anima cœlitùs ante conformationem adueniente habet) sustentat. Illìc duplici membranâ (apagè ἀλλαντοειδῆ) inclusus, propriâ in vrinâ per vrethram illuc delapsa innatás nec respirat, nec vllâ eget asperæ arteriæ, pulmonum, immò nec ipsius cordis, minimè πρώτου ζωτικοῦ, operâ. Hîc quandiù spirat tandiù viuit, & semel cessante cordis & pulmonum motu ilicò extinguitur. Illìc à matre tanquam stirps à terrâ succum alibilem, aliàs menstruâ periodo excernendum, variolas ipsi aut morbillos aliquando excitaturum, vmbilico quasi radice allicit, allectum vnâ tantùm mediante coctione sibi assimilat. Hîc nullũ agnoscens vmbilici vsum iis tantùm nutritur alimentis, quæ per os in ventriculum, primæ coctionis ἐργαστῆρα καὶ ἐργαστήριον ingerit, non iniectis per anum, forìs admotis aut olfactis multò minùs.



X alimentis nullum facilius alteratu, coctu, distributu, nullum temperatius, melioris succi, recens natis magis εὐπροσφυλον quàm lac, cibi non tãtùm ac potus, sed & medicamenti vicem in illis gerens; eius generandi vis, solis fœminarum mammis (quarum perinde ac sanguis iecoris, semen testium opus non excrementum est) insita haud ante prorumpit in actum quàm illæ conceperint. γαλακτοποιητικὰ quæ perhibentur, anethum, erucam, fœniculum & quæcumque moderato calore prædita venarum obstructa reserare, attenuare sanguinem, & ad corporis habitum deducere nata sunt virginibus quamtumuis polyæmis, quin & vtero molam, seu viuam seu mortuam, gerentibus exhibe, τὰ καταμήνια forsan promouebis, lactis ne guttam quidem: at prægnantibus, cùm moueri fœtus incipit sponte fertur ad mammas ab vtero sanguis lactis characterem mox suscepturus πυκνοσάρκοισι quidem segniùs, ocyùs ac diutiùs ἀραιοσάρκοις.



ACTANTIVM vt non eadem omnium temperies, ætas, victus norma, &c. ita nec lactis conditio. Biliosæ paucum conficiunt, calidum, aphthis, & calculo gignendis obnoxium. Pituitosæ & inertes copiosius, sed crudum. Iunioribus quàm adultis, propè à partu quàm longé distantibus, frigidarum quàm calidarum regionum incolis, omnibus vere quàm æstate dilutius est, γαλακτικώτερον, ὑπόψοφον. Maternum cuique vtilius esse Fauorini veritus exprobrationem si ais, aberras. Saluberrimum omnibus illud tantum censendum venit, quod æquali, minimè spumosâ, mediâque inter tenuem & crassam substantiâ est, quod album, dulce, nihil aut suaue olens, vnà & copiosum, quale in iis reperitur quæ floridum faciei colorem, pectus amplum, crassiusculas ac duriusculas mammas, papillam fragi instar prominentem, totius corporis habitum nec gracilem nec obesum sortitæ, bonisque præditæ moribus, marem nono vel septimo à conceptu mense sanum ac bene habitum peperere, diesque purgationis τῆς λοχίης vigenti saltem ἄπονοι exegere.



ONITATI lactis adijcere διαιτήματα multùm possunt, multùm detrahere, nec paruam de nutrice etiam lectissimâ habere oportet curam quid edat, quid bibat, quo pacto se in somno, venere, exercitatione habeat. Bubulam, suillam, leporinam, sale præsertim aut aromatibus conditas carnes, cetaceos pisces cartilagineosue, legumina, panes azymos, vinũ ne audeat degustare. Appetentiam sibi, non alliis, cepis, raphanis, sinapi, quanquam lactis vbertatem facientibus, exsuscitet, sed moderatâ cùm totius corporis, tùm maximè brachiorum exercitatione. Somnum ipsa, perinde ac alumnus, multam in lucem per me vt protrahat licet, venerem vt colat non licet nisi imminente ὑστερικοῦ τοῦ πάθους periculo. An ieiunij legibus solutæ nutrices? non minùs quàm grauidæ quater in die cibum sumere, potum quacumque diei vel noctis horâ sitis vrgebit, debẽt, dummodo is sit qui laudabiles tueri conditiones lactis valeat.



ESTINGVENDÆ animalium non modò, sed & stirpium siti cõmunis omnium parens natura aquam αὐτοφυῆ καὶ ἀτεχνέα subministrat, quam qui asserit omnibus peræquè vtilem non minori censurâ dignus, quàm si morbos omnes vnico medicamento curandos susciperet; nullam ipsa (etiam fontana bonitatis lauream inter alias obtinens) nutriendi vim habet, δυσπεψίας καὶ δυσαναδόσεως non iniuriâ insimulatur, idoneum nihilominùs cùm alimentorum, tum medicamentorum vehiculum ipsa suppetit. Hinc varia potuum artificialium genera, eodem iure, quo panis confectio, ad medicos inuentores referenda, ac in primis ceruisia dicta, ex hordeo quidem in aqua macerato & cocto, vt veterum Curmi, conflata, sed additione lupuli, infra secundum gradum calidi sicci, depurandíque sanguinis facultate conspicui, longè salubrior, suauior. Huius in vsu præscribendo eum haberi delectum velim, vt quæ mediæ ætatis est recenti ac vetustæ, quæ perspicua turbidæ, quæ dulcis amaræ, austeræ, acescenti præferatur. Sic affecta ceruisia, præter alendi ac detergendi, quam habet ab hordeo, vim λεπτυντικὴν etiam, ἐκφρακτικὴν, οὐρητικὴν, quidni & γαλακτοποιητικὴν? ex lupo salictario nanciscitur. Quid plura? proceros ac generosos è Germania viros emittit, ex Angliâ formosos, callidos è Neustriâ, è Picardia ingenuos, ingeniosos ac intrepidos è Gallia, vt non minùs bonos mores animo, quàm humores corpori conciliet.

Ergo ceruisia nutricibus.

Proponebat Lutetiæ CAROLVS DV PRE' Parisinus. A. R. S. H. M. DC. XXIX.